



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 7. Utrùm status charitatis perfectæ excludat actus virtutis spei, &c.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83614)

non enim nisi per actus huiusmodi augeri potest charitas habitualis. Atqui in fidei peccatore actus fidei & spei non sunt meritorii gratiæ sanctificantis. Ergo, &c.

2. Ceteros omnes habitus infusos semper esse in eodem gradu intentionis cum charitate habituali: infunduntur enim & augentur eadem proportionem, qua charitas habitualis. Nam ratio quæ probat ceteros omnes habitus infusos non infundi aut augeri, nisi infusa, vel aucta charitate habituali, probat etiam eos non nisi eadem proportionem infundi & augeri. Hinc iusti homines, etiam eximie sancti, non magis excellunt in una virtute habituali infusa, quam in alia; quamvis interdum in una virtute actuali magis excellent, quam in aliis; seu quamvis per gratiam actualem excitati & adjuvi, in materia unius virtutis excellentius operentur, quam in aliarum virtutum materia, ut docet experientia.

At inquit. Cum excellunt v. g. in exercendis actibus fidei, magis in eis augetur habitus fidei, quam v. g. habitus spei. R. hoc esse falsum: nam propter excellentiores illos actus fidei, fides & spes habitualis augentur eadem proportionem, qua habitualis charitas, adeoque augentur eadem proportionem inter se: unde una non magis augetur, quam alia. Quod si sancti illi maiorem lubinde in exercendis fidei actibus facilitatem experiuntur, oritur hæc facilitas vel ex maioribus gratiis actualibus, quibus excitantur ad credendum, vel ex intensiori habitu per excellentiores fidei actus acquisito.

ARTICULUS VII.

Utrum status charitatis perfectæ excludat actus virtutis spei: ita ut neque timor pœnarum, seu damnationis æternæ, neque amor & desiderium beatitudinis, quæ nostrum bonum est, in hoc statu locum habeant.

S. Anselmus Thomas 2. 2. q. 24. art. 9. distinguit tres gradus seu status charitatis habitualis: incipientem scilicet, proficientem, & perfectam. Nam primo quidem, inquit S. Doctor in O. incumbit homini (iustificatio) studium principale ad recedendum à peccato, & resistendum concupiscentiis ejus, quæ in contrarium charitatis movent. Et hoc pertinet ad incipientes, in quibus charitas est nutrienda, vel fovenda, ne corrumpatur. Secundum autem studium succedit, ut homo principaliter intendat ad hoc quod in bono proficiat. Et hoc studium pertinet ad proficientes, qui ad hoc principaliter intendunt, ut in eis charitas per augmentum roboretur. Tertium autem studium est, ut homo ad hoc principaliter intendat, ut Deo inhaereat, & eo fruatur. Et hoc pertinet ad perfectos, qui cupiunt dissolvi, & esse cum Christo.

Igitur S. Doctor homines iustos constituit in triplici classe. In prima sunt ii, qui Incipientes dicuntur, & quorum præcipuum studium est in nutrienda seu fovenda charitate, pravae habitus alias contractos destruendo, effrenem concupiscentiam reprimendo; tentationes, quibus tunc vehementius & pernicius affliguntur, superando; sibi denique à peccatis præsertim mortalibus cavendo. In secunda classe sunt ii, qui dicuntur Proficientes, quique destructis magna saltem ex parte pravis habitibus, resrenata concupiscentia, sedatis tentationum procellis, in hoc præcipue incumbunt, ut per bonos actus & opera pietatis, habitalem in se charitatem, aliasque virtutes omnes augeant. In tertia denique classe sunt ii, qui Perfecti dicuntur, quique postquam in virtutibus christianis omnibus per diligentissimum & frequentissimum actuum illarum exercitium multum profecerunt, Deum ardentissime diligentes, hoc principaliter affectant, ut Deo per continuam, quantum in hac mortali vita fieri potest, contemplationem, & amorem continuum adhæreant, eoque fruantur.

Porro incipientes sic dicuntur, non quod tantum nutrant seu foveant charitatem habitalem, ne per mortale peccatum corrumpatur; nam actus virtutum, & opera pietatis exercent, & exercendo proficiunt in

charitate habituali, aliique virtutibus; sed quia potissimum occupantur in vitandis peccatis, quibus in eis corrumpetur habitualis charitas; potissimum, inquam, occupantur, &c. eò quod in eo statu vigent adhuc habitus pravi, & effratior est concupiscentia. Unde crebrius & vehementius incipientes ad peccandum sollicitantur, quam ii qui dicuntur Proficientes, quique à pravorum habituum servitute liberi, sicut & à frequentioribus & vehementioribus concupiscentiæ insultibus securiores facti, præcipuam curam ponunt in profectu.

Hoc dicit S. Thomas in resp. ad 2. ubi sic loquitur: *Illis in quibus charitas incipit, quamvis proficiant (per actum virtutum, quos exercent) principalior tamen cura imminet, ut resistant peccatis, quorum impugnatione inquietantur. Sed postea hanc impugnationem minus sentientes, jam quasi securius intendunt ad profectum, ex una parte facientes opus, & ex alia parte habentes manum ad gladium; scilicet ut pugnent contra incentiva peccati, quibus non carent, & contra insurgentes tentationes, à quibus non omnino liberantur.*

Similiter perfecti sic dicuntur, non quod cum attingerint terminum, ultra quem excrecere non possit charitas habitualis, aut quod, derelicto virtutum exercitio, in charitate habituali proficere desierint, sed quia quamvis adhuc proficere possint & quotidie proficiant, ardenti amore Dei flagrant, ad hoc aspirant præcipue, ut per assiduum contemplationis & amoris exercitium uniantur Deo, eoque fruantur. Hoc dicit S. Thomas in resp. ad 3. *Perfecti etiam in charitate proficiunt. Sed non est ad hoc principalis eorum cura: sed jam eorum studium circa hoc maxime versatur, ut Deo inhaereant. Et quamvis etiam hoc querant incipientes & proficientes, tamen magis sentiunt circa alia suam sollicitudinem; incipientes quidem, de vitazione peccatorum; proficientes vero, de profectu virtutum.*

Ex dictis hactenus apparet, juxta S. Doctorem, gradum seu statum perfectorum ab aliis prioribus differre in eo tantum, quod perfectorum propter ardorem seu intentionem charitatis, præcipuum studium sit inhaerere Deo, eoque frui, præcipuum, inquam, non unicum: vivunt etiam studiosè & vitant peccata & in virtutibus proficiunt. Unde sequitur perfectos præcipue quidem, at non unice affici ad bonitatem Dei absolutam: quare perperam & falso negatur, eos identidem ad operandum moveri à bonitate Dei respectiva, seu in operando intendere proprium interesse ordinatum & supernaturale, quod in vitanda damnatione æternæ, & possessione Dei consequenda consistit. Pro quo sic

RESPONSIO.

Bonum operari & vitare malum intuitu proprii interesse, seu commodi supernaturalis, non repugnat statui perfectorum, adeoque nec amor & desiderium beatitudinis, quæ summum bonum nostrum est, nec timor æternæ damnationis, etiam quatenus est summum nostrum malum, repugnat huic statui.

Prob. 1. ex Script. Nam Psal. 118. dicitur: *Inclinavi cor meum ad faciendas iustificationes tuas propter retributionem.* Et ad Hebr. c. 11. Apostolus loquens de Moise sic ait: *Magis eligens affligi cum populo Dei, quam temporalis peccati habere jucunditatem: majores divitias æstimans thesauro Aegyptiorum improprium Christi: aspiciebat enim in remunerationem.* Ex his autem sic argumentor. Qui malum vitat, & bonum operatur intuitu retributionis & remunerationis æternæ, malum vitat, & bonum operatur ex affectu proprii interesse seu commodi supernaturalis, ut patet ex terminis. Atqui Moyses & David, qui proculdubio perfecti cenendi sunt, malum vitarunt, & bonum operati sunt intuitu retributionis & remunerationis æternæ. Ergo malum vitarunt, & bonum operati sunt ex affectu proprii interesse seu commodi supernaturalis. Ergo, &c.

Præterea, 2. ad Timoth. c. 4. de se ipso sic loquitur

quitur Apostolus : *Bonam certamen certavi, cursum consummavi, fidem servavi. In reliquo reposita est mihi corona justicie, quam reddet mihi Dominus in illa die iustus Judex.* Ergo Apostolus expectabat gloriam æternam ut coronam seu mercedem. Ergo expectabat gloriam æternam ut sibi bonam & commodam. Ergo amabat & desiderabat gloriam æternam ut sibi bonam & commodam. Ergo quamvis perfectissima charitate præditus, operabatur ex affectu æternæ gloriæ, ut sibi bonæ & commodæ. Ergo, &c.

Præterea, sic ait idem Apostolus Rom. c. 5. *Gloriamur in spe gloriæ filiorum Dei.* Ergo Apostolus cum perfecta charitate sperabat gloriam æternam, imò & de illa sua spe gloriabatur. Atqui sperare gloriam, est eam amare, & desiderare efficaciter ut summum nostrum bonum & commodum. Ergo Apostolus cum perfecta charitate gloriam amabat & desiderabat efficaciter ut summum suum bonum & commodum, imò & gloriabatur, quod sic eam amaret & desideraret. Ergo, &c.

Denique, Epist. ad Tit. c. 2. hæc habet : *Apparuit gratia Dei Salvatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegantes impietatem, & secularia desideria, sobrii, & iusti, & pie vivamus in hoc sæculo, expectantes beatam spem, quæ verba diriguntur non solum ad incipientes & proficientes, sed etiam ad perfectos, qui proinde sobrii, & iusti, & pie vivunt in hoc sæculo, quia sperant, hoc est, quia promissam bonis operibus beatitudinem amant & desiderant efficaciter, ut summum suum bonum & summam suam perfectionem. Igitur, ex Apostolo, etiam perfecti efficaciter afficiuntur ad suum proprium interesse, seu commodum supernaturale; & quia sic ad illud afficiuntur, sobrii, & iusti, & pie vivunt in hoc sæculo.*

Potè ex dictis hæcenus evidenter inferitur, etiam perfectos odisse & fugere, adeoque timere damnationem æternam, ut summum suum malum & incommodum: qui enim amat & desiderat efficaciter bonum aliquod, ut sibi bonum & commodum, hoc ipso naturali necessitate odit & fugit, adeoque timet malum huic bono oppositum, ut sibi malum & incommodum. Ergo etiam perfecti peccatum fugiunt ex metu damnationis æternæ, quia summum suum malum est & incommodum, adeoque ex affectu proprii interesse & commodi supernaturalis; quamquam etiam & potissimum illud fugiant ex affectu charitatis quia est offensa Dei.

Confirmatur. Ex verbis Christi Matth. cap. 10. dicentis : *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere: sed potius timeite eum, qui potest & animam & corpus perdere in gehennam.* Hæc autem verba dirigit Christus etiam ad perfectos: hic enim Christum solos incipientes & proficientes alloqui, gratis & perpetram diceretur. Atqui Christus per hæc verba suadet metum gehennæ, hoc est, æternæ damnationis, quia summum malum nostrum est; & suadet, ut hoc metu à peccato deterreamur. Ergo possunt omnes, etiam perfecti, timere damnationem æternam, ut summum suum malum, & ex timore damnationis æternæ, ut summi sui mali, vitare offensam Dei. Præterea, cum perfecti consilium Christi negligere dici non possint; & damnationem æternam ut summam miseriam timere, & quia timent, offensam Dei vitare, omnino dicendi sunt; quamvis etiam & maxime, ut jam dictum est, eam, quia est offensa Dei, quem ardentissime propter se diligunt, devitent.

Prob. 2. resp. Auctoritate Innocentii XII. qui anno 1699. damnavit hanc propositionem : *Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura, & sine ulla admixtione proprii interesse.* Neque timor pœnarum, neque desiderium remunerationum habent in eo amplius partem. Non amatur amplius Deus propter meritum, neque propter perfectionem, neque propter felicitatem in eo amando inveniendam. Nullus igitur status charitatis habitualis est, in quo iusti viatores non retineant affectum aliquem ad proprium

interesse seu commodum, ordinatum scilicet & supernaturale, in quo non timeant pœnas, hoc est, damnationem æternam; ut summam hominis miseriam; in quo non desiderent remunerationes, hoc est, æternam gloriam, ut mercedem bonis operibus in Deo factis retribuendam; in quo non ament Deum propter meritum, hoc est, ut eum amando mereantur vitam æternam; in quo denique Deum non ament propter perfectionem, & felicitatem in eo amando inveniendam, adeoque eum ament propter solam bonitatem ejus absolutam, & nunquam propter bonitatem ejus respectivam; seu, quod idem est, eum ament non ut bonum ipsis, sed tantum ut bonum in se. Quæ

Confirmatur. Ex Trid. sess. 6. c. 16. ubi legitur : *Bene operantibus usque in finem, & in Deo sperantibus, proponenda est vita æterna... tanquam merces ipsius Dei promissione bonis ipsorum operibus & meritis fideliter reddenda.* His autem verbis etiam perfectos comprehendere, patet ex subsequentibus. *Hæc est enim illa corona justicie, quam post suum certamen & cursum repositam sibi esse aiebat Apostolus, &c.* Ergo etiam perfecti ad bonum volendum & operandum excitari possunt per considerationem vitæ æternæ, ut mercedis bonis operibus reddendæ; alioquin frustra omnino proponeretur illis vita æterna, ut merces bonis operibus reddenda. Ergo ad bonum volendum & operandum excitari possunt per considerationem proprii interesse & commodi: nam qui operando intendit mercedem, proprium interesse & commodum intendit, Ergo ad bonum volendum & operandum excitari possunt per amorem, & desiderium efficax beatitudinis consideratæ ut summum bonum, summaque perfectio hominis est, adeoque à peccato deterri possunt per odium & fugam æternæ damnationis, consideratæ ut hominis summum malum est, summaque miseria.

Prob. denique resp. Ratione, & quidem 1. sic. Potest homo perfectus proximo, quem perfecte diligit, & quia cum diligit propter Deum, velle beatitudinem qua summum ejus bonum est. Ergo potest etiam se ipsum diligens perfecte propter Deum, quia se ipsum sic diligit, velle sibi beatitudinem, quia summum suum bonum est. Similiter homo perfectus proximo, quia eum diligit propter Deum, potest nolle & timere damnationem, quia summum ejus malum est. Ergo potest etiam sibi, quia se ipsum diligit propter Deum, nolle, & timere damnationem, quia summum suum malum est. Quidni enim homo perfectus posset, in ordine ad salutem, ex imperio charitatis sibi velle aut nolle, sibi desiderare aut timere, quod ex charitatis imperio proximo vult aut non vult, desiderat aut timet; & sibi velle aut nolle, desiderare aut timere sub ea consideratione, sub qua proximo vult aut non vult, desiderat aut timet? Imò quia perfectus ex charitate diligit proximum, sicut se ipsum ex charitate diligit, amat & desiderat proximo summum ejus bonum quia tale, quia summum suum bonum sibi amat & desiderat quia tale. Item odit & timet proximo summum ejus malum quia tale, quia summum suum malum quia tale sibi odit & timet.

2. Sic iustus in statu perfecte charitatis elicere potest cum auxilio gratiæ actus, qui etiam in hoc statu utiles sunt, & quandoque necessarij ad vincendas tentationes, ad resistendum rebellantis concupiscentiæ motibus, ad erigendum contra difficultates in via salutis passim occurrentes animum, adeoque ad roborandam & conservandam charitatem habitualement. Atqui ad hæc omnia maxime utiles sunt, imò & identidem necessarij actus, quibus amamus & desideramus summum nostrum bonum quia tale, aut quibus odimus & timemus summum nostrum malum, quia summum nostrum malum est. Ergo, &c.

3. Sic. Iustus in statu perfecte charitatis producere potest actus illos omnes, qui imperari possunt à perfecta charitate. Atqui actus virtutis spei imperari possunt à perfecta charitate, & tam saltem possunt, quam actus virtutum moralium: tam enim possunt

possunt actus virtutis spei produci ex affectu placendi Deo, quam possunt ex affectu placendi Deo produci actus virtutum moralium. Et verò actus virtutum moralium produci possunt ex affectu placendi Deo, quia sunt honesti, adeoque Deo grati. Atqui pariter actus virtutis spei sunt honestissimi, ac proinde Deo gratissimi: Deus enim, quia summum nostrum bonum, honestissime amabilis est. Ergo, &c.

Obj. 1. Qui bonum operatur, & malum vitat propter mercedem & retributionem, mercenarius est. Sed esse mercenarium repugnat statui perfectorum. Ergo statui perfectorum repugnat operari bonum & vitare malum propter mercedem & retributionem. R. mercenarium esse, qui operatur propter mercedem & retributionem temporalem, & in bono aliquo creato posita; at non esse mercenarium, qui operatur propter mercedem & retributionem eternam, quæ non est alia quam Deus ipse. Unde repugnat quidem statui perfectorum bonum operari & malum vitare propter mercedem temporalem, seu propter bonum aliquod creatum obtinendum: at huic statui non repugnat operari bonum & vitare malum propter mercedem eternam; seu propter possessionem Dei consequendam.

Bonitas hujus responsionis patet ex eo quòd aliqui mercenarius fuit Moyses, qui improprie Christi majores divitias æstimando thesauro Ægyptiorum, aspicebat in remunerationem. Item mercenarius fuit David, qui propter retributionem inclinabat cor suum ad servanda mandata divina. Item mercenarius fuit Apostolus, qui à Deo, justo iudice, expectabat coronam gloriæ, & de hac sua expectatione gloriabatur. Item Synodus Tridentina, quantum in se est, iustos omnes facit mercenarios, omnibus indiscriminatum vitam eternam proponendo ut mercedem bonis ipsorum operibus reddendam.

Mercenarius itaque ille omnis & solus dicendus est, qui non operatur nisi propter mercedem temporalem, ita ut nec serviat, nec servire velit Deo, nisi propter bonum aliquod creatum à Deo obtinendum: unde convincitur non amare Deum, nisi propter illud bonum, quòd proinde plus amat, quam Deum, ejusque possessionem vel expressè, vel saltem interpretativè anteponit possessioni Dei. Hic autem modus amandi Deum inordinatissimus est, & impossibile non solum cum statu perfectorum, sed etiam cum statu proficientium & incipientium. Mercenarius igitur dici non potest, qui operatur propter mercedem eternam, nec aliud à Deo bonorum suorum operum premium expectat, quam ipsum Deum: qui enim sic servit Deo, rebus omnibus creatis eum anteponit; in eoque tanquam in summo suo bono constituit finem suum ultimum: qui modus diligendi Deum, & serviendi Deo, ordinatissimus est, & cum perfectissima charitate maxime composibilis.

Hanc totam doctrinam tradit S. Augustinus enarr. in Psal. 72. ad hæc verba, *Pars mea Deus in secula*; quibus David non aliud bonorum suorum operum premium nisi Deum expectare se significabat: *Factum est cor castum*, inquit S. Doctor, *gratis jam amatur Deus. Non ab illo patitur aliud premium. Qui aliud premium petit à Deo, & propterea vult servire Deo, carius facit quod vult accipere, quam ipsum à quo vult accipere. Quid ergo? Nullum premium Dei: nullum præter ipsum. Premium Dei ipse Deus est: hoc amat, hoc diligit. Si aliud dilexerit, non erit castus amor. Recedis ab igne immortali, frigesces, corrumparis. Noli recedere, corruptio tua erit, &c.*

Obj. 2. Quod repugnat puritati charitatis, repugnat statui perfectorum. Sed bonum operari intuitu proprii interesse seu commodi, repugnat puritati charitatis. Ergo, &c. R. dist. min. Bonum operari intuitu proprii commodi temporalis, repugnat puritati charitatis, C. min. Charitas enim non est pura in eo qui aliquid præter Deum amat, quod non amat propter Deum. At qui operatur bonum intuitu proprii commodi temporalis, bonum aliquod creatum amat præter Deum, quod propter Deum non amat; adeo-

que non amat Deum purè, quamvis, ut supponitur boni illius prosecutio aut non sit, aut non nisi leviter sit peccaminosa. Bonum operari intuitu proprii commodi supernaturalis & æterni, repugnat puritati charitatis, N. m. Charitas enim pura est in eo qui nihil amat nisi Deum, aut propter Deum, quem amat non solum ut suum summum bonum, sed etiam ut in se summè bonum; ac proinde quem amat non solum amore concupiscentiæ, cujus motivum est bonitas divina respectiva, sed etiam amore amicitie, cujus motivum est bonitas divina absoluta. At iustus, qui bonum operatur intuitu proprii commodi supernaturalis & æterni, nihil amat nisi Deum, aut propter Deum, quem amat non solum, &c.

Nota. Proprium hominis interesse supernaturale, & æternum nihil aliud est, quam Deus ipse ut possidendus per actus beatificos, & quæ talis summè perfectivus hominis. Iustus igitur, cum bonum operando intendit proprium interesse supernaturale & æternum, intendit conjunctionem sui per actus beatificos cum Deo ut summo bono hominis, adeoque hominis per actus beatificos summè perfectivo. Et quia in hac conjunctione consistit perfectissima subiectio creature ad Deum, iustus hanc conjunctionem intendendo, perfectissimam subiectionem sui ad Deum intendit, ut maximam suam perfectionem. Et quia in subiectione creature ad Deum consistit gloria Dei extrinseca, iustus intendendo perfectissimam subiectionem sui ad Deum, intendit perfectissimam gloriam extrinsecam Dei, quamquam illam non ut Dei bonum, sed ut bonum suum intendat.

Proprii igitur interesse seu commodi supernaturalis & æterni intentio officere non potest puritati charitatis: charitatis enim puritati officere non potest, quod opus intendat perfectissimam sui cum Deo conjunctionem, perfectissimam subiectionem sui ad Deum, perfectissimam gloriam Dei extrinsecam, ut sibi bene sit: nam qui sibi bene esse non vult, nisi per conjunctionem sui cum Deo, nihil sibi amat, nisi Deum, aut propter Deum sibi coniungendum, quocumque amore sui stare potest & stat purissima charitas in eo, qui ut sibi bene sit, intendit conjunctionem sui per actus beatificos cum Deo, quem propter se diligit super omnia. 1. enim amat Deum amore charitatis. 2. Amat Deum purè, quia nihil sibi amando nisi Deum aut propter Deum sibi coniungendum, nullo creature inordinato amore maculat amorem illum charitatis, quo Deum amat.

At inquit. Præter Deum, quem amat, amat se ipsum. Ergo non amat Deum purè. R. 1. dist. ant. sic. Amat se ipsum inordinatè, & aliter volens sibi bene esse, quam per conjunctionem sui cum Deo, N. ant. Amat se ipsum ordinatè, non aliter volens sibi bene esse, quam per sui cum Deo conjunctionem, C. ant. & neg. conf. Nam amat Deum amore puro charitatis, qui præter Deum, quem propter se diligit, nihil amat, nisi secundum normam charitatis, qua Deum amat. At qui præter Deum, quem propter se diligit, non aliter amat se ipsum, quam volens sibi bene esse per conjunctionem sui cum Deo, non amat se ipsum nisi secundum normam charitatis, qua Deum amat. Pro quo

Nota. Qui per bona opera sua intendit conjunctionem sui cum Deo, ut hominis per actus beatificos summè perfectivo, & simul Deum propter se & super omnia diligit, 1. amat sibi Deum modo quo eum sibi laudabilissimè & honestissime amare potest. 2. Sic sibi amando Deum ut suum summum bonum, non sinit in se & suo bene esse, etiam per Dei possessionem obtinendo, sed cum etiam Deum, ut rerum omnium finem ultimum, diligit propter absolutam ejus bonitatem; & se & sua omnia, adeoque suum bene esse per Dei possessionem obtinendum, ulterius refert ad ipsum Deum, quem propter absolutam bonitatem diligit, & in quo sic dilecto, tanquam rerum omnium fine ultimo, ultimè sinit. Talem autem ad charitatis amissum se ipsum exactissime diligere, quis non videt? Amat Deum sibi, sed simul

simul se suae omnia ulterius refert ad Deum. Amat conjunctionem sui cum Deo, subjectionem sui ad Deum, gloriam Dei extrinsecam ut suum interesse, ut suum bene esse; sed simul illud suum interesse, illud suum bene esse amat ut bonum extrinsecum Dei, in quo sistit ut sine ultimo, propter absolutam suam bonitatem super omnia dilecto.

Obj. 3. Perfectus appetit possessionem Dei per amorem charitatis, juxta illud S. Augustini lib. 3. de doctr. christi. c. 10. *Charitatem voco motum animi ad fruendum Deo propter ipsum.* Ergo perfectus non appetit possessionem Dei & per amorem concupiscentiae. *R.* N. conf. Perfectus itaque appetit possessionem Dei & per amorem charitatis & per amorem concupiscentiae: per amorem quidem charitatis, appetendo illam ut possessionem amici propter se, seu propter bonitatem suam absolutam dilecti; per amorem verò concupiscentiae, appetendo illam ut possessionem summi boni, adeoque possidentis per possessionem sui summè perfectivi, ac proinde propter summam suam bonitatem respectivam amati. Hoc autem utroque modo possessionem Dei appetendo, perfectus duplici pondere ad Deum fertur vehementius, & veluti ala duplici sublevatus, terrena despiciens, facilius assurgit ad caelestia.

ARTICULUS VIII.

De Praecepto Charitatis.

PROPOSITIO I.

Datur charitatis praecipuum ab aliis omnibus distinctum.

Prob. ex Deuter. cap. 6. ubi dicitur: *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, &c.* Quibus verbis exprimitur vel praecipuum speciale, vel merum consilium. Secundum dici non potest, & contextui manifestè repugnat. Ergo his verbis exprimitur speciale praecipuum. Præterea, Christus Matth. c. 22. hæc eadem verba recitat, & continuo subiicit: *Hoc est maximum & primum mandatum.* At primum & maximum mandatorum non potest non esse speciale mandatum, & ab aliis omnibus mandatis distinctum & diversum. Ergo, &c.

Potest praecipuum hoc duplex est, positivum scilicet & negativum. Positivum praecipit actum amoris, quo Deus diligitur propter se, seu quia in se bonus est. Negativum verò prohibet actum huic amori oppositum, nempe odium ininimicitiae, quo quis Deo operatur malum aliquod; ut si operatur eum non esse, aut non esse justum, aut ignorare ea quae hic sunt, &c. Hoc autem peccatum nunquam fieri potest veniale ex parvitate materiae, seu ex parvitate mali, quod operatur Deo, & mortalium omnium gravissimum est. Quid enim gravius esse potest, quam velle malum, qualecumque sit malum illud, Enti supremo, summè bono, adeoque summè amabili? Quare praecipuum charitatis negativum obligat semper & pro semper; cum nunquam licitum esse possit odire Deum. Sed de positivo quaeritur, quando nam obliget? Pro resolutione, sit

PROPOSITIO II.

Praecipuum charitatis positivum aliquando per se obligat, & aliquando per accidens tantum.

1. Obligat per se omnes, ubi primum post acceptum rationis usum, sufficientem Dei notitiam habent: tunc enim tenentur sub gravi sese ad Deum convertere, non solum ut summum suum bonum, quod sit per amorem spei, sed etiam ut rerum omnium finem ultimum, propter quem creata sunt omnia, & ad quem proinde omnes se suae omnia referre debent; quod fieri non potest, nisi per amorem charitatis.

Cum autem dicimus: Ubi primum post, &c. sufficientem Dei notitiam habent; addendum iudicamus: Vel habere possunt; ita ut non nisi ob gravem suam negligentiam hac notitia careant: tunc enim non

nisi ex ignorantia graviter culpabili ignorant obligationem convertendi se per actum charitatis ad Deum, ut finem ultimum rerum omnium: unde talem actum omitendo, contra praecipuum charitatis graviter peccant peccato ignorantiae. Quare parentes, Parochi, & Confessarii pueros qui ad usum rationis proximè accedunt, aut etiam cum attigisse videntur, diligenter de obligatione amandi Deum admonere, & ad eum amandum excitare debent.

2. Per se obligat identidem, imò saepe in decursu vitae: ita ut sub gravi teneamur in vita decursu identidem, imò saepe actus charitatis elicere. Hoc enim postulat ratio amicitiae divinae. Hoc postulant continua Dei beneficia. Hoc exigit ratio finis ultimi, ad quem nos nostraque omnia identidem, imò saepenumero referre, ex natura rei non possumus non obligari. Hoc denique non obscure significatur Deuter. c. 6. ubi post verba superius laudata, continuo additur: *Eruntque verba haec, quae hodie praecipio tibi, in corde tuo, & narrabis ea filiis tuis, & meditaberis in eis sedens in domo tua, & ambulans in itinere, dormiens atque confurgens: & ligabis ea quasi signum in manum tuam, & movebuntur inter oculos tuos, scribesque, &c.* Ad quid autem haec omnia, si raro praecipuum charitatis obligat? Quamvis autem in eliciendis charitatis actibus mora sit graviter culpabilis, determinandum relinquimus iudicio prudentium.

3. Per se obligat in mortis articulo, seu in morali vitae periculo. Nam si in principio vitae moralis graviter tenemur convertere nos ad Deum, non solum ut summum nostrum bonum per amorem spei, sed etiam ut rerum omnium finem ultimum per amorem charitatis, à fortiori ad idem tenemur in termino illius moraliter instante. Tunc igitur graviter obligat praecipuum charitatis, cuius obligationis moribundos, qui eis in extremis assistunt, Parochi vel Confessarii admonere, vel eos ad eliciendos eiusmodi actus excitare & adjuvare debent.

4. Obligat etiam per accidens in variis casibus; ut cum quis probabiliter iudicat hic & nunc actum charitatis sibi necessarium esse ad vincendam gravem aliquam tentationem; cum quis sibi conscius peccati mortalis, non habet copiam Sacerdotis, & tamen morali aliqua necessitate adigitur vel ad celebrandum, vel ad ministrandum aut suscipiendum aliquod Sacramentum: tunc enim tenetur perfecte conteri, quod non potest sine actu charitatis, &c.

Addo hic, eum qui versatur in morali vitae periculo, sive conscius sibi sit peccati mortalis, sive non, sive copiam habeat Confessarii, sive non habeat, teneri ad actum charitatis, etiam ex praecipuo charitatis propriae; quia tunc ex praecipuo charitatis propriae tenetur salutem suam consulere modo securissimo, quod facere non potest, nisi per actum charitatis, qui solus per se sufficit ad supplendos defectus, si qui forte intervenerint in susceptione sacramentorum. Sed quaeritur ad quid obliget praecipuum charitatis? Pro resolutione, sit

PROPOSITIO III.

Praecipuum charitatis obligat ad amandum Deum propter se eum summa appretiatione.

Prob. 1. Obligat ad amandum Deum propter se: nam amare Deum propter se, est illum amare, quia in se bonus est, adeoque propter bonitatem suam absolutam. Atqui praecipuum charitatis obligat ad amandum Deum propter bonitatem suam absolutam. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam charitatis praecipuum obligat ad amandum Deum propter objectum formale charitatis; alioquin non obligaret ad actum charitatis, quod est absurdum. Atqui objectum formale charitatis est bonitas Dei absoluta. Ergo, &c.

2. Obligat ad amandum Deum cum summa appretiatione: nam summam appretiationem hic dicimus eam, qua Deum omnibus aliis diligibilibus sic affectivè praefereamus, ut affectivè parati sumus aliis omnibus omnino bonis in aeternum carere, quam Deum graviter offendere. Atqui praecipuum chari-

tatis